

1º *Magnanimitas* est virtus quae ad magna et heroica in omni virtutum genere inclinat. Ut proprie actus magnanimitatis exerceatur, necesse est ut homo in magna et heroica feratur, non quia in illis eluet pecuniaris honestas hujus vel illius virtutis, puta religionis vel abstinentiae, sed ob motivum distinctum a reliquarum virtutum motivis, vid. quia hujusmodi opera, utpote magna et ardua, consentanea sunt animo magno et generoso, magnis gratiae praesidiis adjuto, magna rerum caelestium cognitione instructo, magnis praemiis illecto, magnis exemplis provocato. (Lessius, c. 2. n. 6) Ab ea virtute inadæquate tantum distingui videtur *magnificentia*, cuius est magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficere, quando ratio id postulat, puta in extruendis templis, nosocomiis, etc. Magnanimitati adversantur: *praesumptio*, *ambitio*, *inanis gloria*, *pusillanimitas*, de quibus dictum est n. 177.

2º *Patientia* est virtus quae animum adversus mala hujus vitae firmat. Ejus proprium est tristitiam, quam mala ista in animo gignere solent, vel penitus comprimere, vel ita moderari ut rationem plane sui compotem relinquat, neque reliquias virtutes in officiis suis impedit. Ut formaliter exerceatur virtus patientiae, necesse est ut homo in hanc moderationem incumbat, propter specialem honestatem quae eluet in hac interna et externa moderatione inter mala, *præsentia*. Usu tamen communiter recepto, etiam ille dicitur *patiens* qui eamdem moderationem exercet ductus motive aliis virtutis quae per tristitiam et afflictionem oppugnetur, quamvis iste proprie et formaliter exerceat actum illius virtutis ob cuius amorem resistat iis quae eamdem impugnant. A virtute patientiae inadæquate tantum distinguitur *longanimitas*, quae animum firmat adversus malum aliquod determinatum, vid. adversus molestiam quae e rei exspectatae dilatione percipitur. Patientiae per defectum opponitur *insensibilitas*, ob quam homo nullis suis vel proximi malis tangatur: quod signum est brutae stoliditatis vel inhumanae duritiei. Eadem per excessum adversatur *impatientia*, qua quis dolore victus aliquid mali facit, puta dum transgreditur limites quos ratio ponit in dolore manifestando. Per se haec vitia veniale peccatum non excedunt; impatientiam tamen saepe ducere ad gravia, puta blasphemias, vulnerationes, etc. notissimum est.

3º *Perseverantia* est virtus qua quis bonum opus prosequitur quamdiu recta ratio id postulat. Ut eadem formaliter exerceatur, necesse est ut quis perseveret ductus speciali honestate quae reluet in bono opere prosequendo usque ad finem ratione *præstitutum*, *victis taedio et molestia* quae e diuturnitate obrepere solent. Juxta S. Thomam (2. 2. q. 137. a. 3), a perseverantia eatenus differt *constantia*, quatenus haec facit hominem firmiter consistere in bono contra difficultatem quae provenit ex ipsa diuturnitate actus, illa vero idem efficit contra difficul-

tatem quae provenit e quibuscumque aliis exterioribus impedimentis. Haec tamen distinctio, prout observat Lessius (l. c. n. 48), neque ab AA. neque vulgo servari solet: quare praestat duas istas voces velut duo ejusdem virtutis nomina promiscue usurpare. *Perseverantiae* per excessum opponitur *pertinacia*, per defectum *inconstantia* seu animi mollities. Pertinacia in eo est quod quis manet firmus in agendi vel sentiendi proposito, ubi non oportet vel plus quam oportet. Peccatum pertinaciae erit grave vel leve pro ratione materiae: sic grave foret nolle retractare opinionem ab Ecclesia damnatam. Inconstantiae vitium in eo est quod quis facile recedit a bono propter alias molestias non ita graves ut eas sustinere non posset. (2. 2. q. 139. a. 1) Hujusmodi recessus a proposito erit mortalis si quis sub gravi tenebatur perseverare, puta ob votum in religione emissum; levis, si tenebatur sub levī. Quod si nulla erat obligatio perseverandi, nullum per se peccatum erit in deserendo proposito; per accidens peccabitur, si talis mutatio fit ex aliqua inordinata passione. (Lessius, l. c. n. 49)

S 4. DE TEMPERANTIA.

251. Temperantia, prout quartam e virtutibus cardinalibus designat, est virtus quae refrenat appetitum in iis quae maxime alliciunt, vid. in voluptatibus gustus et tactus, seu in usu alimentorum et venereorum. Versatur ergo primario in moderandis his delectationibus quae vehementissimae sunt et longissime a ratione abducunt, secundario tamen etiam in moderanda oblectatione aliorum sensuum, nimirum quatenus horum objecta ad voluptatem gustus vel tactus, mediante imaginatione, incitant. Moderatur autem temperantia non solum externum harum delectationum usum, sed etiam internos affectus, ut vid. eas tantum desideremus quantum, qualiter, ubi, quando et quo modo oportet. Quae sit temperantiae mensura in cibo et potu, dictum est n. 180. Quae vero servanda sit in usu venereorum, extra legitimi conjugii usum, patebit e dicendis de sexto Decalogi præcepto; idem de conjugatis habes Vol. II. n. 543 seqq.

In genere adversantur temperantiae *stupor* et *intemperantia*. Stupor, rarum utique vitium, in eo est quod quis nolit uti delectationibus tactus et gustus quando recta ratio id postulat. Adverte hoc vitio immunem esse qui hujusmodi delectationes fugiat ob aliquam justam causam, puta ad poenitentiam agendum. Intemperantia, qua nihil frequentius, est excessus in iisdem delectationibus concupiscendis vel fruendis.

Habet autem temperantia sub se plures virtutes, alias tamquam partes subjectivas, alias tamquam partes potentiales: de singulis breviter dicemus.

252. Partes subjectivae hujus virtutis sunt :

1º Abstinentia. Haec dupli ratione sumitur. Quandoque (2. 2. q. 146. a. 1) designat virtutem quae cupiditates et delectationes esculentorum refrenat et in ipso usu moderationem constituit. Sic nihil aliud est nisi temperantia circa cibos. Crebrius (Lessius, l. 4. c. 2. n. 1) hoc nomine venit virtus qua quis, ex amore honestatis temperantiae vel alius eius libet virtutis, subtrahit sibi aliquot cibos, quos sine intemperantia sumere posset : quod fit praecipue per jejunium ecclesiasticum. (n. 436 seqq.) Eidem virtuti opponitur gula, de qua dictum est n. 180 seqq.

2º Sobrietas. Haec latissimo sensu idem sonat ac temperantia ; strictiore sensu, idem ac temperantia in cibo et potu. Proprie et quatenus est virtus specialis, designat temperantiam in potu inebriante et definiri potest : virtus quae affectum et usum potionis inebriare valentis debite moderatur. Ratio ob quam haec specialis virtus statuitur, sila est in peculiari difficultate quae in hac moderatione reperitur, ob majorem proelicitatem hominum in potum inebriantem et graviora damna quae excessus in tali potu secum trahit. (Lessius, l. c. n. 88) Sobrietati opponitur ebrietas, de qua dictum est n. 183 seqq.

3º Castitas. Haec virtus est quae venereas cupiditates et delectationes refrenat, ne plus iis utamur quam rationis norma secundum praesentem statum nostrum sinit. Castitas perfecta erit si quis ab omnibus voluptatibus carnis etiam licitis perpetuo abstinere proponet ; eadem imperfecta tantum erit, si quis ad tempus tantum proponet hanc plenam abstinentiam, vel etiam intendet quidem ab illicitis abstinere, sed simul licitis uti : in qua ultima hypothesi, habebitur castitas conjugalis, quae tamen videtur specie differre a castitate perfecta, quia alia ratio honesti reperitur in absoluta abstinentia, alia in usu moderato. (Lessius, l. c. n. 92 seqq.)

A castitate perfecta non nisi conotato differt *virginitas*. Haec enim nihil aliud est quam castitas perfecta in subjecto incorrupto, seu quod numquam antea fuerit libidine contaminatum. Sed probe secernenda est virtus virginitatis a statu mere naturali, qui virginitas dici solet, et consistit in integritate carnis, libidinosae contagionis experie. Amittitur virtus virginitatis stricte dicta omnibus illis actibus quibus amittitur castitas, ac proinde non tantum luxuria actibus consummatis, sed etiam actibus imperfectis, immo desideriis turpibus et morosis delectationibus quae plene voluntaria fuerint. Eadem tamen non amittitur violatione carnis involuntaria : quia virtus, cum in animo consistat, nequit homini invito auferri. Insuper attende saepe virginem dici eum qui contra castitatem peccaverit actibus internis vel externis solitariis, modo numquam copulam carnalem habuerit : quia sic manet illa carnis integritas, quae vulgo virginitas dici solet. Nec quidquam amplius videtur Ecclesia

requirere a mulieribus ut virginum velum accipere possint : quippe quas Pontificale Romanum interrogari jubet tantum de vita, conscientia et *carnis integritate*. Hae tamen coram Deo virgines non sunt, neque virginitatis laureolam assequuntur. (Lessius, l. c. n. 120 ; Ball. P. de sexto Praec. Dec. n. 131 seqq.)

253. Partes potentiales temperantiae sunt :

1º Continentia. Haec, sensu apud veteres DD. recepto (2. 2. q. 155 ; Lessius, l. 4. c. 4. n. 1), designat firmum propositum animi, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiae, quibus ad voluptates tactus, praesertim venereas, impellitur. Huic virtuti opponunt incontinentiam, in eo sitam quod passio quae versatur circa easdem delectationes vincit rationem, licet totalem ejus usum non auferat. Usu tamen hodie communiter recepto, neque continentia a castitate, neque incontinentia a luxuria differre intellegitur.

2º Mansuetudo. Haec virtus est quae irae passionem secundum rectam rationem moderatur, sicut temperantia rationi subjicit cupiditates delectationum gulæ et veneris. Ejus officium est iram penitus reprimere ubi justa irascendi causa deest ; ubi vero justa ratio poscit ut irascamur, impedire ne ira modum excedat. Huic virtuti per excessum opponitur iracundia, per defectum inrascentia. De iracundiae reatu dictum est n. 118. Inrascentiae vero vitium in eo est quod quis non excitet in se iram qua indigeat ad implendum aliquod officium justitiae vel caritatis ad quod obstrictus sit, puta corripere, castigare, retundere contumaces. Attamen illa irae vacuitas non habet distinctam malitiam a malitia omissi illius officii justitiae vel caritatis : mala enim non est nisi quantum in ea censetur volita omissione debitae actionis. (Lessius, l. c. n. 35)

3º Clementia. Haec virtus, quae Superiorum propria est, inclinat animum ad imponendas minores poenas quam quae jure imponi possunt. Magnam habet affinitatem cum mansuetudine : a qua tamen differt potissimum motivo suo formalis. Etenim mansuetudo ad vindictam minuendam inclinat propter honestatem quae in ira moderanda eluet ; clementia, propter decorum quod sibi comparat homo potestate praeditus, dum, ob benignitatem erga proximum, non utitur in puniendo tota sua potestate. Clementiae opponitur per excessum *crudelitas*, per defectum *nimia lenitas*. Crudelitas vitium est quo poenae, ex quadam animi asperitate, supra modum exiguntur. Supponit ergo in eo qui poenas exigit, aliquam auctoritatem seu veram, seu usurpatam ; in eo qui punitur, aliquem reatum. Quodsi alterutrum deest, puta in judice torquente innoxios homines, proprie, juxta veteres (2. 2. q. 159) habetur feritas : quia poenam sic inferentes delectantur, ferarum more, proximi doloribus vel ex iis lucrum querunt. Usu tamen recepto, crudelitas et feritas

convertuntur. Nimia lenitas vitium est, Reipublicae aequa perniciosum ac crudelitas (Lessius, l. c. n. 44), quo poena mitigatur vel omnino remittitur, etiam cum utilitas delinquentis vel exemplum aliorum requirit ut per justam severitatem tota exigatur.

4º *Modestia*, qua quis, suo modulo contentus, motus suos internos et externos et omnem rerum suarum apparatum intra mensuram sibi congruam coeret. Sub modestia numerantur quattuor virtutum species (2. 2. q. 160. a. 2), quarum singulae quibusdam humanis moribus moderantur: humilitas, motibus animi ad excelsa; studiositas, nimio desiderio cognitionis, praesertim curiosae; modestia morum, motibus et gestibus externis corporis; modestia cultus, exteriori apparatu, puta in vestibus, supellectili, etc. De singulis breviter.

a) *Humilitas*. Haec definiri potest cum Lessio (l. c. n. 54): Virtus inclinans nos ad nostram vilitatem signis, seu internis, seu externis, et factis profitendam. Fundamentum humilitatis est notitia sui, quae potissimum comparatione exiguitatis nostrae cum infinita Dei perfectione acquiritur, ac proinde recte dicit S. Bernardus (De gradibus humil.) : eam esse virtutem qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Nihilominus formaliter non residet in intellectu, sed in voluntate, quam inclinat ut se intra mensuram sui suppositi contineat, nec ad aliquid per modum spei vel desiderii supra illam feratur. Ut autem intellegatur quomodo humilitas cum veritate conciliari possit, etiam in iis qui maximis naturae vel gratiae donis excellunt, notandum est cum S. Thoma (2. 2. q. 161. a. 3) in homine duo considerari posse: id quod est Dei et id quod est hominis; hominis autem esse quidquid pertinet ad defectum, Dei vero quidquid pertinet ad salutem et perfectionem. Jamvero humilitas proprie respicit reverentiam qua homo Deo subjicitur. "Et ideo quilibet homo, secundum id quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere quantum ad id quod est Dei in ipso; non autem hoc requirit humilitas ut aliquis id quod est Dei in seipso, subjiciat ei quod appetet esse Dei in altero... Similiter etiam non hoc requirit humilitas ut aliquis quod est suum in seipso, subjiciat ei quod est hominis in proximo... Potest tamen aliquis reputare aliiquid boni esse in proximo quod ipse non habet, vel aliiquid mali in se esse quod in alio non est, ex quo se potest ei subjicere per humilitatem." Quomodo honesti rationem habeat ex humilitate amplecti vilia, Lessius (l. c. n. 53) praecipue hac ratione explicandum dicit. Dum vilia ex humilitate amplectimur, id agimus ut profiteamur nos nihil boni ex nobis habere, nihil posse, nihil esse, et consequenter omne bonum nostrum esse ex Deo, ad ipsum veluti auctorem omnia referenda, in ipsum omnem laudem et honorem, qui nobis tribuitur, refundendum. Hoc ipso enim quod nostram vilitatem profitemur, tacite etiam significamus omne bonum nostrum Deo assignandum

esse. Attamen nequaquam impedit humilitas quominus quis appetat magna, modo per id quod a Deo accepit sufficientem proportionem cum iis habeat, neque magna appetat quasi ipse per ea quae praecise ex se habet iis sit dignus aut ea possit efficere. "Immo nulli sunt magis magnanimi quam illi qui vere sunt humiles. Cum enim non suis viribus, sed Dei tantum auxilio, cui se penitus subjecere, nitantur, ejusque omnipotentiam et bonitatem assidue cogitent, nihil est quod hac ratione illis impossibile aut valde arduum appareat, ac proinde etiam quidvis aggredi, cum honor Dei postulat, non dubitant." (Lessius, l. c. n. 51) Humilitati opponuntur per excessum *superbia* (n. 177) et per defectum *nimia sui abjectio*. Haec inclinat hominem ad imprudentem sui abjectionem, vid. quando haec redundat in injuriam status vel officii quod gerit, vel talenti quo praeditus est, vel in eorum incommode quibus prodesse potest aut debet. Opponitur humilitati per defectum, quatenus humilitas rationabilem propriae excellentiae curam prosequitur. (Lessius, l. c. n. 64)

b) *Studiesitas*. Haec virtus est quae affectum et studium cognoscendi juxta rectae rationis normam temperat. Dupli fungitur officio: altero, per quod proprie cum temperantia conectitur, moderatur tum appetitum sciendi, ne quis velit plura et altiora scire quam ipsius capacitatibus congruat, ne scientiam pluris faciat quam virtutem, etc., tum ipsum conatum scientiae acquirendae vel exercendae; altero, per quod cum fortitudine conectitur, ad sciendi desiderium et ad studium necessarium vel congruum impellit. Studiesitati per excessum opponitur *curiositas*, per defectum *negligentia*. Curiositas proprie in hoc est quod aliquis, solius cognitionis affectu, superfluam diligentiam adhibet ut aliquid sciat, quod nihil ad ipsum scire attinet, vel quod captum ipsius superat. Nec refert utrum hujusmodi cognitio per intellectum an per sensus quaeratur. Si vero non solius cognitionis affectu, sed ob alium finem, puta voluptatis quae ex ipsa re percipiatur, aliiquid scire appetas quod ad te non pertineat vel captum tuum superet, haec non erit curiositas proprie dicta, sed aliud vitium, puta libido vel sensualitas. Verum, ubi cum debita moderatione et ex honesto fine rerum novarum cognitio quaeritur, non vitium, sed virtus exercetur. (n. 39) Curiositas est peccatum per se leve: nulla enim gravis inordinatio in eo videtur quod homo appetat scire quae ad eum non pertineant, aut superfluam in hujusmodi operam ponat, modo necessaria non neglegat. Sed saepe homo, inordinato sciendi desiderio, transgreditur legem sub gravi obligantem, puta dum in hunc finem exercet spiritismum, litteras alienas aperit, etc. (Lessius, l. c. n. 83 seqq.) Negligentiae vitium in eo est quod quis voluntarie omittat discere quae discere vel scire tenetur. Hic defectus per se venialis est: nihil enim grave in solo taedio laboris appetat. Per acci-

dens gravis fiet si quis, propter hoc taedium, neglegat studium ad quod sub gravi teneatur, puta judex neglegens studium necessarium ad causam prudenter dirimendam.

c) *Modestia morum* est virtus qua externi motus et gestus corporis ex praescripto rationis temperantur. Hujus ergo officium est gressum, vocem, orationem, etc. ita moderari ut congruant personae tum in se spectatae, tum versanti in tali loco, tempore vel negotio. Eadem velut species est *entrapeliae* quae ludis et jocis rationis modum imponit. Modus autem quem ratio in iis servare jubet, determinetur oportet e fine horum delectabilium, nempe ut anima congruam a praeteritis laboribus quietem et aptam dispositionem ad novos labores assumendos nanciscatur. Cfr. 2. 2. q. 168. a. 2. Excessus in talibus manifeste magis nocet quam defectus, et quandoque ad grave peccatum pertrahit, puta si proferantur joci graviter turpes cum gravi scanda loaudientium, vel si, propter ludi libidinem, officium magni momenti neglegitur. (n. 660 seqq.) *Modestiae morum* per excessum opponitur *petulantia*, qua praescriptum rationis in externis motibus et gestibus exceditur, puta dum nimium extenditur communis modus, vel assumitur modus alienus qui cum propria condicione non congruat. Per defectum eidem virtuti opponitur *morum rusticitas*. Utrumque defectum per se veniale esse liquet.

d) *Modestia cultus* est virtus quae in rerum externarum apparatu rationis moderationem adhibet. Per excessum contra hanc virtutem peccatur dupliger : ratione ipsius cultus et ratione affectus hominis qui conviviis, vestibus, etc. ambitione, deliciose vel luxuriose utitur. Ratione ipsius cultus : quando is per se talis est ut non congruat receptae consuetudini proborum in tali loco. Ratione affectus : quando is inordinatus est seu ex parte finis intrinseci vel extrinseci qui intenditur, puta si quis per corporis cultum quaerat vanam gloriam, vel ad impuros amores impellere nitatur, seu ex parte agentis qui nimium studium in hujusmodi rebus ponit, puta si mulier plures horas in se ornanda insumat. Per defectum contra eamdem virtutem peccatur etiam dupliger : primo, ex parte agentis, neglegendo contra decori regulas cultum corporis vel rerum suarum ; secundo, ex parte finis, quaerendo per vilitatem cultus inanem gloriam. Quo melius determinetur mensura in ornatu corporis tenenda, adverte quemvis honeste appetere et procurare vestitum quo, pro condicione status sui, decore compareat : decet enim ut in societate humana unusquisque illum vestitum gerat qui cum ejus condicione convenire committere in hoc loco existimetur. Insuper mulieres matrimonio junctae vel nubere cupientes rationabiliter in cultu suo intendunt ipsam corporis pulchritudinem : nam cum naturae institutione et ipsius feminei corporis conformatioe congruit mulierem ope pulchritudinis cor viri sibi in ordine ad matrimonium devincire, initioque matri-

monio devinctum conservare. Per se veniale peccatum est in ornatu qui assumatur cum intentione minus recta, ut puta si mulier quae nubere nolit vel vir se ornet ut pulchritudinis laudem obtineat, aut si etiam mulier quae rationabiliter hanc laudem appetit, excessum in ornatu corporis admittat. Haec enim per se mera vanitas est, neque ullum grave hominis officium laedit. Per accidens tamen ornatus superflus multiplici ex capite potest cum peccato mortali conjungi, ex. gr. si fiat cum animo pertrahendi ad libidinem, vel si ratio sit ob quam debita non solvantur. (Lessius, l. c. n. 112 seqq.)